ecclesiastici resurciet. Alterum, Michaëlem
Hochheimensem, virum bonum, et de filio
medius et gravibus omnis valde solicitum, ju-
vare pro virili digneris, alterutrum ut
consequatur. Neque enim importune Do-
minis Consiliariis, beneficium nunc extor-
quere cupit, sed satis factum sibi putat,
si solvendo quo victu filii studiis consu-
lere queat. Hoc si ab humanitate tua im-
petravero, ingenti me beneficio affectum
judicabo. Denique discipulis reliquis, quos misi,
in paedagogio aut alibi locum esse velim,
ne in diversoriis publicis haerere cogantur.
Humanitatem tuam, cum uxore et fa-
milia tota divinae commendo gratiae. Fi-
lius mihi erit cura. Neuhuschio 5. Maij 159[illegible]

Human. Tuae
deditiss.
Henr: Hunnij

247) Clariss. D. Pareo A. Polany S.

Salutem et veram εὐδαιμονίαν à Domino Jesu tibi
ex animo precor, Reverende et clarissime
D. Paree, amice honorande. Reddidit mihi
clarissimus vir D. Stuckius fasciculum à te mis-
sum, in quo duae epistolae, altera ad D. Gryna-
eum, altera ad me, altera etiam responsionis
ad scriptum Ambergense pars et theses tuae
in quibus generales fuerant inclusae. Alteram epi-
stolam D. Grynaeo tradidi unà cum exemplari
thesium; caetera exemplaria generoso Dno ob-
senischio; uno mihi reservato unà cum respon-
sione ad scriptum Ambergense. Gratias au-
tem tibi et ipsorum et meo nomine ma-
ximas ago et pariá officia spondeo. Impri-
mis autem benignissimo illi Deo nostro toto
pectore gratias ago, quod ecclesiae suae adeò

clementer prospicit, dans ei doctores pios et sin-
ceros, in quorum numero te esse experientia i-
psa compertum habeo et tua scripta uberrime
ma loquuntur. Tibi etiam ex animo gratu-
lor de publico isto testimonio, quod coram
multis tributis tuae pietati, virtuti et doctri-
nae est perhibitum: et opto ut illud ad di-
vini nominis sanctificationem, Ecclesiae aedi-
ficationem et tuam salutem faciat. Generosus
D. Joh. Dionysius Cerotinus adhuc est in Ita-
lia: spero tamen brevi ipsum eam relicturum:
de quo certiorem te faciam, quamprimum
vel ab ipso vel ex Moravia accepero literas.
Generosissimus D. Ladislaus et Genisellius
te salutant, tibique pariter gratulantur.
Salutem adscribo tuae conjugi, liberisque omni-
bus et collegae tuo Dno M. Kreij. Deus Domi-
nus benedicat. Vale feliciter clariss. D. Doctor
amice antique, et me amare perge. Basileae
25 July Anno 1593.

Qui te colit et amat
A. Polanus.

Guisii interfecti fasti in Lipsiis, postulantibus Le-
gatis Pontificiis et Regis Hispaniarum, Regis-
que scriptum esse scribitur: dein exscriptum ta-
men Parlamento Parisiensi et non appro-
bantibus multis civibus Lutetianis. Sed existimo
eos a legato Francofurtensi certiora habere.

Eidem Marco Beumlero S.

Agnosco tuam, clarissime Domine Doctor, singu-
larem et constantem erga me benevolentiam.
Pro qua tibi eas, quas possit animus meus con-
cipere, gratias ago, eamque gratitudine re-
pendo. Caeterum videris mihi, id quod iis, qui
propensius amant, saepenumero usu venire solet,
majora de me tibi polliceri, quam ego re
ipsa praestare possim. Hinc est, quod me in re-
spondendo D. Theologiae honore tibi socium ad-
jungi cupis ac studes. Cuius consilio lubens
parerem, si primum cum eruditione in me